



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus


Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Pars I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993



TRACTATUS

DE

JUSTITIA, ET JURE,
ET INJURIIS, ET RESTI-
TUTIONE.

PARS PRIMA.

De Justitia, & Jure.

CAPUT I.

De Justitia.

Nota. Justitia sumitur 1. Pro gratia san-
ctificante, quam qui habet, dicitur ju-
stus. 2. Pro complexione omnium
virtutum, seu virtute generali. 3. Pro specia-
li virtute morali, ut hinc.

*Q. I. Quid est Justitia, prout est Virtus
specialis?*

*Resp. Est virtus moralis perficiens, & in-
cli.*

D 3

clinans voluntatem ad constanter, ac perpetuo tribuendum unicuique jus suum, id est, quidquid ei debitum est ex Jure. Nam Jus hic sumitur non pro jure formali, quod est facultas legitima ad aliquid, sed pro jure objetivo, seu objecto illius facultatis, nempe pro debito ex jure, seu debito rigoroso. Duplex quippe est debitum; unum simplicis honestatis, & est illud, cujus violatione contrahitur solum turpitude moralis: tale est debitum gratitudinis. Aliud est debitum ex jure, seu debitum rigorosum, de quo solo hic agitur, & est illud, quod si non redditur, contrahitur non solum turpitude moralis, sed etiam obligatio restituendi, vel satisfaciendi, vel subeundi pœnam, quæ exigi possit ab eo, cui illud debetur. Justitia autem versatur circa hoc debitum rigorosum. Unde ejus objectum materiale est redditio debiti rigorosi: formale verò est specialis honestas hujus redditionis.

Q. 2. Quomodo dividitur Justitia?

Resp. Dividitur in legalem, commutativam, distributivam, & vindicativam.

Justitia legalis est virtus inclinans ad tribuendum communitati, seu Reip. debitum, ut debitum communitati propter bonum commune, sive ad præstanda ea omnia, quæ communitati debita sunt in ordine ad bonum commune. Dicitur legalis quia habet pro objecto id, quod debetur communitati ratione legum;

voca-

vocatur etiam generalis, quia versatur circa debitum ex jure communi, seu generali, quod habet communitas, sive ejus princeps, ad actiones, & bona privatorum in ordine ad bonum commune. Hæc justitia est vera species Justitiæ propriè sumptæ; nam versatur circa debitum rigorosum propriè dictum ut tale: communitas enim, & ejus Princeps habet verum Jus Justitiæ in subditos, ad exigenda ea quæ necessaria sunt, vel utilia ad bonum commune. Et vicissim est in subditis debitum, & obligatio rigorosa præstandi ea, quæ communitas, aut Princeps pro suo Jure exigat, in ordine ad bonum commune. Idque ex natura rei, nam stare non potest communitas sine tali jure in subditos.

Justitia commutativa est virtus inclinans ad reddendum ad æqualitatem debitum rigorosum particularibus vi dominii, aut proprietatis vel pacti, aut contractûs, alteriusve tituli particularis, ratione cujus habent Jus in re, vel Jus ad rem. Unde spectat Jus fundatum in titulo particulari, & æqualitatem rei ad rem. Sic vocatur, quia inter actiones quas moderatur, valdè frequentes, & illustres sunt commutationes, hoc est, mutua utrimque dationes, & acceptiones, nam versatur adhuc circa alias actiones, puta simplices distributiones, ut cum, v. g. datur quod promissum est liberaliter cum intentione dandi jus ad rem, promissione acceptata.

Justitia distributiva est virtus inclinans communitatem, seu ejus Principem, & Ministros ad distribuenda civibus bona communia, officia, munera proportionatè ad cujusque merita, & dignitatem: onera verò communia proportionatè ad cujusque facultatem, & vires. Unde spectat non æqualitatem rei ad rem, sed proportionem rerum ad personas, seu ad personarum merita, dignitatem, & facultates.

Justitia vindicativa est virtus inclinans Superiorem ad reum pro merito puniendum. Non est omnino contradistincta à commutativa, & legali, sed ad utramque pertinet sub diverso respectu: nam vindicta debetur læso, & communitati ex officio à Principe vel iudice, & sub hac ratione vindicta pertinet ad Justitiam commutativam. Item debetur Reip. ratione legum propter bonum commune; Reip. enim interest, & legibus statuit, ut puniantur crimina, & sub hoc respectu pertinet ad legalem.

Porrò violatio cujuscumque Justitiæ supra dictæ est peccatum ex genere suo mortale, juxta doctrinam omnium, inquit Suarez. Nam quælibet est virtus magni momenti. Unde ejus violatio in materia gravi, est gravis inordinatio.

CA-

CAPUT II.

De Jure.

Q. 1. **Q**uid est Jus?

Resp. Jus formale, cui respondet debitum rigorosum, est potestas legitima ad aliquid, cujus violatio obligat ad restitutionem, vel satisfactionem, vel pœnam, quæ possit exigî à læso.

Dicitur 1. *Legitima*, id est, lege aliquâ concessa, vel legi conformis, vel justo titulo nixa.

2. *Ad aliquid*, scilicet retinendum, obtinendum, agendum, omittendum, impediendum, vel ad utendum, aut fruendum aliqua re, vel de ea disponendum.

Q. 2. *Quomodo dividitur Jus?*

Resp. Dividitur 1. in Jus in re, seu reale, quod est potestas legitima circa rem sibi obligatam, & suam factam, ideóque dat actionem in rem ipsam, ita ut possit res illa vindicari, ac repeti ubicunque fuerit; & in Jus ad rem, quod est potestas legitima ad obtinendam, sibi obligandam rem nondum sibi obligatam, seu factam suam, ideóque non parit actionem in rem, sed in personam, quæ illam debet. Sive Jus in re est Jus, quod quis habet in re, ut jam suâ factâ, & dat actionem realem. Jus ad rem est Jus, quod quis habet ut res aliqua fiat sua, & parit actionem personalem. Actio autem hæc est Jus prosequendi in judicio

D 5 id,

id, quod suum est, vel quod sibi debetur. Div.
2. In varias species.

Q. 3. *Quanam sunt species Juris realis?*

Resp. Sunt Dominium, usus, usufructus, servitus, Emphiteusis, feudum, Pignus, & Hypotheca, quibus affinis est possessio; hinc aliqua, cetera alibi exponentur.

§. I.

De Dominio.

Q. 1. *Quid est Dominium, & quotuplex?*

Resp. *Q* Dominium in genere est Jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tanquam sua, unde duplex est, Jurisdictionis, & proprietatis. Dominium Jurisdictionis est potestas gubernandi subditos in illorum commodum, præcipiendo scilicet, prohibendo, iudicando, puniendo, &c. Duplex est, aliud politicum, seu sæculare, quod est potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus, qualis est in Regibus, & aliis Principibus: aliud Ecclesiasticum, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Papa & Episcopis, &c. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, iudicare, punire, remunerare.

Dominium proprietatis, de quo solo hinc agitur, est Jus disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu suo nomine, arbitrato, & au-
cto.

toritate, nisi lex, vel pactum obsistat. Quod addo, quia ejus usus potest lege, vel pactione impediri: sic Pupillus non potest bona sua alienare, licet sit eorum Dominus; nec debitor pignus, quamvis sit eius Dominus, ob pactionem cum creditore initam.

Dividitur 1. in altum, quod habet Resp. seu Princeps, disponendi de bonis, & actionibus privatorum ad bonum commune; & in humile, quod quisque privatus habet disponendi de suis bonis, in proprium commodum. 2. In plenum seu perfectum, quod est Jus disponendi de re, & fructibus eius, tanquam suis; & non plenum, quod est Jus disponendi, vel de sola re, vel de solis emolumentis; unde subdividitur in directum, quo quis habet solam proprietatem rei sine Jure percipiendi eius fructus, & in utile, quod est Jus disponendi de fructibus, & emolumentis rei non de ipsa re.

Q. 2. Quenam subjiciuntur Dominio hominis?

Resp. I. Res omnes externæ, & inferiores, usibus humanis subiectæ, cadunt sub Dominium hominis Jure naturæ, ut agri, montes, flumina, plantæ, bestię, metalla, & alia similia. Ex Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Nam homo habet à natura potestatem disponendi de illis in suum commodum.

Resp. II. Ex communi Doctorum sententia, homo non habet Jure naturæ Dominium in alterum

alterum hominem: quia omnes homines Jure naturæ sunt pares, cum sint eiusdem naturæ, ab eodem parente, & in eundem finem conditi; potest tamen homo illud habere Jure gentium, & civili, ut constat ex Scriptura.

Dominium autem in servos, seu mancipia, quatuor modis acquiritur. 1. Jure belli iusti. 2. Nativitate, ita ut qui nascitur ex serva servus fiat. 3. Justa condemnatione, ut cum quis ob crimen servitute damnatur à Judice. 4. Emptione, homo enim, cum sit Dominus suæ libertatis, potest se ipsum vendere. Possunt etiam parentes ob gravissimam necessitatem vendere proles non emancipatas: quamdiu enim proles sunt sub patria potestate, parentes habent Jus ex illis percipiendi omnia emolumenta quæ ipsi de se percipere possent, si essent sui Juris. Jure tamen civili solus Pater potest vendere prolem, & solum propter nimiam paupertatem, & victus causâ. Imò in Gallia ne Pater quidem id potest propter quamcumque necessitatem, nam leges vetant, & irritant ejusmodi venditiones.

Hinc non licet servis fugere, saltem si venditione, vel nativitate facti sint servi, modò iis alimenta necessaria tribuantur, nec vi impellantur ad peccandum, quam aliter vitare nequeant: nam fugiendo se ipsos Domino subtrahunt, & furantur, contra Jus, quod habet in illos, ideòque ei iniuriam inferunt. *Servum fugitivum sui furtum facere, & ideò non habere locum*

locum nec usucapionem, nec longi temporis prescriptionem manifestum est. l. 1. Cod. de servis fugit. An autem iusto bello captis, & in servitutem redactis ab infidelibus, liceat fugere ad suos, controvertitur. Sed inter omnes constat non licere, si promiserint se nunquam fugituros; nam iure naturali fides data servari debet. *Azor.*

Resp. III. Homo non habet dominium vitæ suæ, sed solus Deus est Dominus vitæ hominum. Ita omnes ex Sap. 16... *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* Quia homo non potest licite disponere de suo esse, illud destruendo pro arbitrio; nam non potest esse Dominus sui esse; quia Dominus, est quid relativum, ideóque ad aliud; & dicit superioritatem, quæ nequit esse erga seipsum, quamvis quisque possit esse Dominus suarum actionum. Item homo non est Dominus suorum membrorum; quia non est Dominus sui-ipsius, ergo nec membrorum, nam homo est omnes partes simul, quæ suum esse componunt, & integrant.

Resp. IV. Ex communi, neque *Resp.* seu Princeps habet Dominium vitæ suorum subditorum. Nam Deus solus illud habet, cum solus sit creator hominum, qui cum solus dederit eis totum esse, ad eum solum pertinet illud esse pro arbitrio destruere, & occidere innocentes. Princeps tamen habet convenientem usum vitæ subditorum in ordine ad bonum commune; nam potest illam in bello expo-

exponere, quando id necessarium est ad bonum commune, & interficere homines sceleratos, ut custos tranquillitatis & boni publici; sicut homo, ut custos vitæ suæ, potest resecare membrum putridum, & exponere partem pro salute totius.

Resp. V. Ex communi, homo est verè Dominus suæ famæ, & honoris: nam homo famam propriâ industriâ, virtute, ac labore sibi acquirit, & auget; potest eius restitutionem condonare; & in multis casibus potest se ipsum infamare ob iustam causam, v. g. ad sui humiliationem, ad coërcendam superbiam, ad restituendam famam alteri, ad Dei misericordiam commendandam. Non tamen licet se ipsum infamare sine rationabili causa; nam esset contra rectam rationem & illud Eccli. 41 ... *Curam habe de bono nomine.*

Q. 3. *Quænam requiruntur ad acquirendum
Dominium?*

Resp. I. Ad acquirendum Dominium rei, quæ nullius est, sufficit sola rei apprehensio facta animo illam faciendi suam, quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. l. 3. ff. de Acquir. rer. Domin. Nisi aliter speciali aliqua lege, vel consuetudine statutum sit.

Resp. II. Ad acquirendum dominium rei, quæ habet Dominum, Jure naturæ sufficit mutuus consensus signo externo expressus; sed

Jure

Jure positivo duo ordinariè requiruntur, scilicet titulus, & traditio, ex l. 20. Cod. de pact. Traditionibus Dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. junctâ Lege. 31. ff. de Acquir. rer. Domin. Nunquam nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.

Titulus autem est fundamentum domini, ac radix, sive ratio, & causa propter quam Dominium alieni competit, ut venditio: per eum tamen non habetur dominium, aut jus in re, sed solum jus ad rem, nisi accedat traditio, quæ est veluti conditio requisita à jure, ut vi tituli acquiratur dominium. Traditio verò duplex est, alia realis, qua res ipsa datur in manus; & alia ficta, seu civilis, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium, aut similem aliam actionem lege, vel consuetudine institutam.

Dixi, ordinariè, quia licet ad acquisitionem Domini semper requiratur titulus, tamen ad eam lex non requirit traditionem in his casibus. 1. In hæreditate, cujus dominium acquiritur sola acceptatione hæreditatis. l. 23. ff. de Acquir. vel amitt. poss. 2. In legato, cujus Dominium acquiritur, ubi primum hæres hæreditatem adiit. l. 66. ff. de Furt. 3. In Beneficiis, in quibus jus in re per solam collationem, & acceptationem acquiritur. 4. Ex titulo donationis, venditionis, aliòve simili acquiritur

Do-

Dominium civitatibus, Ecclesiis, aliisque similibus piis locis ob speciale privilegium.

Q. 4. *Quomodo acquiritur Dominium animalium?*

Resp. I. Animalia ex sua natura mansueta, & domestica, ut oves, equi, gallinæ, anseres, boves, &c. Quantumvis aberrent, & fugiant, semper remanent prioris Domini, nec fiunt occupantis. *Ita omnes. ex institut. de rer. divis.* ubi dicitur furati, qui hæc animalia detinet, cum effugiunt; nam hæc etiam si fugerint, non assequuntur naturalem libertatem, cum naturali sua indole sint domestica: ac proinde remanent prioris Domini. Quare non licet ea capere, vel detinere, nec eorum pelles, si extincta sint. Idem dicit de animalibus ex natura sua feris, vel sylvestribus, ut sunt cervi, lepores, &c. Quæ ejus, à quo capta sunt, custodiâ, seu loco concluso coercentur; vel quæ usu mansuefacta habent consuetudinem redeundi ex libera vagatione in potestatem Domini, ut columbæ, cuniculi, accipitres, cervi cicurati, &c. Nam tamdiu carent naturali libertate. Animalia autem, quamdiu carent libertate naturali, habent Dominum, & sic non sunt occupantis. Deinde tales feræ non minus possidentur à dominis, quàm aliæ domesticæ. Hinc non licet capere pisces ex vivario alterius, nec cuniculos, aut columbas pascentes in agro tuo occidere, quam-

quamvis possis abigere; nec eas illecebris, aut fraude in tuum columbarium traducere: alioquin teneris restituere, cum habeant Dominum, qui habet jus, ne ex eius dominio extrahantur, vel occidantur. Nec obstat quod cuniculi, & columbæ damnum privatis afferant, nam cum sint Reip. utiles, privati debent illud pati propter bonum publicum, & tale onus censetur à Rep. illis imponi hoc ipso, quod ex privilegio, vel consuetudine concedit columbarium erigi, vel garenam institui.

Si verò eiusmodi animalia redeundi consuetudinem amittant, censentur recuperasse naturalem libertatem, & sic sunt primò occupantis; nam iam nullius sunt, & iam in ordine ad priorem Dominum perinde se habent, ac si nunquam capta fuissent, ut avis, quæ ex cavea in liberam aream evasit, vel piscis, qui è tuo vivario in fluvium transit. *ex Instit. de rer. divis.* Hinc tibi licet retinere columbas, quæ sponte, non attractæ, se sociaverunt tuis columbis, & ad proprium columbarium redire desierunt. Examen verò apum quamvis avolet ex alveario tuo, tam diù tuum manet, quam diù in tuo conspectu versatur, nec difficilis est eius prosecutio. *Instit. de rer. divis.* Quòd si difficile sit illud sequi, & recuperare, potest à quovis capi.

Resp. II. Animalia fera, & sylvestria, si antea nullius fuerint, vel quæ aliquando alicuius fuerunt, sed jam naturalem libertatem recuperârunt.

Tom. II.

E

runt.

runt, fiunt primò occupantis, *Inst. de rer. divis.*
 & l. 3. ff. de acquir. rer. dom. Quia, cum natu-
 rali libertate gaudeant, nullius sunt: quæ au-
 tem nullius sunt, fiunt primò occupantis, nisi
 lex specialis, vel consuetudo obstet.

Sed, cujus est fera læsa, vel laqueo capta?

Resp. Si feram læsisti, quantum satis est ad
 capiendum, & læsam insequeris cum certitu-
 dine morali eam capiendi, est tua. Tunc enim
 censetur amisisse naturalem libertatem per
 vulnus inflictum, & à te quasi capta: unde si
 alius eam ceperit, tenetur tibi restituere. Item
 si fera laqueo tuo ita capta sit, ut non sit evasu-
 ra, est tua: unde non potest ab alio capi, sicut
 nec piscis per tuum rete captus; nam ei ade-
 misti libertatem, & per instrumentum tuum
 occupasti: possumus enim, sicut manibus,
 ita & instrumentis rem apprehendere, & in
 potestatem nostram redigere. Quòd si fera
 erat facilè evasura, est primò occupantis;
 quia nondum amisit libertatem, *ex Instit. de*
rer. divis.

Q. 5. Cujus est thesaurus?

Resp. Jure naturali, & gentium totus est in-
 ventoris: nam quæ nullius sunt, fiunt Jure na-
 turali & gentium primi occupantis. Thesau-
 rus autem nullum habet Dominum, nam de-
 finitur in Jure, *vetus quædam depositio pecunia,*
cujus non extat memoria, ut jam Dominum non
habeat.

habeat. l. 31. ff. de Acquir. rer. Dom. Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles, aut vasa, gemmæ, annuli, catenæ aureæ, &c. Dicitur autem vetus depositio; nam si non sit vetus non censetur thesaurus, sed res inventa, quæ Domino, & in eius defectum eius hæredibus, restitui debet, qui si cognosci nequeant, impendi debet in usus pios, quia sunt bona incerta.

Jure tamen civili communi, obligante in conscientia, hæc statuta sunt de Thesauro. 1. Thesaurus totus est illius, qui eum in proprio fundo reperit. *Instit. de rer. Dom.* Si tamen arte magica ibi inventus sit, totus pertinet ad fiscum, saltem post sententiam judicis. 2. Qui fortuito thesaurum in fundo alieno reperit, fit Dominus dimidii, alterum verò dimidium tenetur ante sententiam judicis tradere Domino speciali fundi, sive sit Princeps, sive privatus, *ex Instit. de rer. divis.* quæ dispositio non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum. 3. Thesaurus de industria quæsitus in fundo alieno sine consensu Domini totus est domini, *l. Unica. cod. de Thes.* Varii tamen putant inventorem non teneri ante sententiam judicis, tradere nisi dimidium, ob hæc verba legis ex ea parte pœnalis: *totum locorum Domino reddere compellatur.* 4. Si thesaurus inveniat in platea, foro, vel via publica juxta multos dividi debet cum fisco, juxta alios totus est inventoris.

Not. In his sicut in aliis spectanda sunt specialia locorum leges, vel consuetudines, & servanda. Sic in Gallia thesaurus in alieno fundo repertus in tres partes æquales dividi debet, quarum una sit inventoris, altera Domini fundi, tertia Dynastæ, seu alti justitiarum, vel Regis, si solus in loco sit altus justitarius. Theauri verò à Domino fundi inventi media pars est inventoris, alia Dynastæ vel Regis. Imò circa hoc variæ sunt in variis provinciis consuetudines.

Q. 6. Cujus sunt Lapidicinae, vene Metallicae, Gemme, Lapilli, &c.

Resp. I. Lapidicinae, carbonariae, cretariae, arenariae, fodinae ferri, plumbi, quæ sunt in fundo alicujus, pertinent ad dominum fundi: nam vel sunt pars fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terræ; vel sunt ejus fructus. Idem dic de venis metallicis, spectato solo jure naturali, & gentium, quia sunt partus fundi, cum in eo nascantur, seu formentur, vel ejus partes. Jure tamen civili in variis locis venæ auri, & argenti in fundo privatorum repertæ, sunt partim Principis, partim inventoris. Possunt autem Principes ob bonum commune sibi jus effodiendi hæc metalla vindicare, & concedere privatis jus ea inquirendi ubilibet etiam in agris alienis, & eruta fisco applicandi

di ad sustinenda onera Reip. compensato solo damno, quod infertur loco.

Resp. II. Gemmæ, corallium, lapilli, & similia, quæ inveniuntur in promontoriis sunt occupantis, *Instit. de rer. divis.* quia nullius sunt.

Q. 7. *Quinam sunt alii speciales modi acquirendi dominium?*

Resp. Sunt alluvio, specificatio, accessio, confusio, commixtio, inædificatio, pictio, implantatio, satio, nativitas ex *Instit. de rer. divis.* & l. 7. ff. de *Acquir. rer. Dom.* Itaque

1. Per *alluvionem*, id quod vi aquarum insensibiliter uni fundo detrahitur, & alteri adjicitur, fit Domini fundi, cui fit adjectio. Dico, *insensibiliter*, nam si notabilis pars tui prædii statim subita aquarum tempestate adjiciatur meo, ea tibi remanet.

2. Per *specificationem*, cum res aliena ita mutatur in aliam speciem, ut ad primum statum reduci nequeat: ut si ex alienis lanis vestem conficias, vestis est tua; sed teneris solvere pretium lanæ, & damna, si quæ sint, & ad hoc datur actio alteri. At si res aliena in pristinum statum restitui possit, ut vas argenteum in massam argenteam, dominium vasis acquiritur ei, cujus est materia.

3. Per *accessionem*, cum quid ad ornatum alteri rei adjicitur: ut si quis alienam domum pinxerit, pictura Domino domûs cedit, nec

tenetur ad impensas, nisi tale ornamentum postulaverit.

4. Per *confusionem*, & *commixtionem*, si materiae ad duos dominos spectantes, five casu, five communi consensu confundantur, vel permisceantur; quod resultat, fit commune utrique pro rata materiae, si materiae ab invicem secerni nequeant, ut duo vina confusa, vel duo acervi tritici permixti: si verò res separari possint, ut oves in grege permixtae, debent separari.

Si autem alienam pecuniam, Domino infcio vel invito, tibi hoc ignoranti datam misceas tuae, volens totam habere tuam, nec jam discerni possit à tua, acquiris ejus dominium. l. 78. ff. de Solut. Teneris tamen restituere rem aequalem, nam nemo locupletari potest ex re aliena cum damno ejus Domini. Reg. 48. Jur. in 6.

5. Per *Inaedificationem*, aedificium in alieno fundo constructum cedit Domino fundi, qui tenetur materiam, & operas solvere, si alter bona fide aedificaverit: secus, si mala fide. Item si quis in fundo suo aedificat ex materia alterius, fit Dominus materiae, sed tenetur alteri de damno. Quod si Mœvius in fundo Caii ex Titii materia aedificet, aedificium cedit Caio; sed Titius potest petere pretium materiae, vel eam vindicare, si diruatur aedificium.

6. Per *Pictionem*, in tabula aliena pictor fit Domi-

Dominus tabulæ, sed tenetur priori Domino tabulæ de damno.

7. Per *implantationem*, & *sationem*; nam arbores, plantæ in aliquo fundo à quolibet collocatæ, eo ipso quòd radices egerunt, cedunt Domino fundi. Idem est de seminibus in agro alieno sparsis; nam sicut ædificia solo cedunt, ita multò magis plantæ, & arbores, cum à terra sustententur, alimentum, & incrementum trahant: qui tamen arborem alienam in suo fundo transplantavit, tenetur de damno.

8. Per *Nativitatem*, quod ex animali foeminei sexûs nascitur, pertinet ad Dominum animalis, l. 5. ff. de *Rei Vindic.*

Q. 8. *Quinam sunt capaces Domini?*

Resp. I. Omnis, & sola substantia intellectualis est capax Domini: quia Dominium est facultas de re aliqua disponendi arbitrato suo, quæ facultas non potest esse sine intellectu, & voluntate. Hinc bruta Dominium non habent in terræ gramina; neque qui ea prohibet, injuriam ipsis infert, sed eorum Domino.

Resp. II. Infantes sunt capaces juris, & Domini. Constat tum ex communi usu omnium gentium, tum ex illo ad Gal. 4. *Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium.* nam licet ad usum Domini requiratur usus rationis, tamen ad Dominium habituale, & in actu primo, sufficit natura intellectualis, ac libertas innata; & aliun-

de possunt Infantes jus suum exercere per eos qui eorum curam agunt, nempe per Parentes, Tutores, Remp.

Q. 9. *An Filius-familias habet Dominium bonorum, quæ dicuntur fortune?*

Not. I. Filius-familias dicitur is, qui adhuc est sub Patria potestate. Patria autem potestas est jus lege civili inductum, quod habet solus Pater, vel Avus Paternus in personam, & bona liberorum legitimorum, vi cujus potest de illis disponere secundum quod leges ei permittunt.

Not. II. Bona Filiorum-familias sunt quadruplicia, nempe castrensia, quasi-castrensia, adventitia, & profectitia.

Castrensia sunt ea, quæ acquiruntur in militia, vel occasione militiae, ut stipendia militaria, hostium spolia, butrum, vel commilitonum dona; vel in obsequio Principis in ejus aula exhibito: item ea, quæ eunti ad militiam, vel ad obsequium Principis dantur, & lucra omnia, quæ ex talibus bonis, interventu alicujus contractus, proveniunt.

Quasi-castrensia dicuntur ea, quæ habent privilegium castrense, & sunt ea, quæ filius acquirit ex officio, & munere publico, ut Judicis, Advocati, Tabellionis; ex professione alicujus artis liberalis; & quod datur intuitu talis functionis, ut libri, &c. ex liberalitate Principis: ex Officio Clericali, ex Beneficio Eccle-

Ecclesiastico; item quæ dantur Filio-familias ut ipse tantum, non Pater, usum-fructum habeat. Denique id omne, quod acquiritur post Clericatum. Authent. *Presbyteros, Cod. de Episcop.*

Adventitia sunt ea, quæ neque castrensia sunt, neque quasi-castrensia, neque à Patre, aut ejus intuitu donata sunt, sed aliunde filio proveniunt, puta successione in bona materna, amicorum donatione, aut legato, inventione thesauri, propriâ industriâ, labore, &c.

Profectitia sunt ea, quæ proveniunt à Patre vivo, vel Patri gratiâ donata sunt, vel ex bonis Paternis acquisita, v. g. negotiando.

Resp. Filius-familias habet plenum dominium in bona castrensia, & quasi-castrensia, eorumque administrationem liberam. Unde potest sine consensu Patris de illis arbitrato suo disponere per contractus, donationes, imò per testamentum, si compleverit annum 14. bonorum autem adventitiorum habet proprietatem, sed Pater usum fructum: unde filius non potest de illis disponere. Profectitiorum verò filius-familias, nec habet proprietatem, nec usum fructum. Ratio horum est dispositio Juris Civilis.

Q. 10. *An servi, seu mancipia habent dominium aliquarum rerum?*

Resp. Non habent dominium lucri, & fructuum suarum operarum, ac laboris, sed Dominus.

E y

minus,

minus, ut constat ex Jure: at habent dominium etiam perfectum non solum famæ, & bonorum spiritualium, sed etiam, secundum multos, temporalium. 1. Quæ Dominus eis concessit. 2. Quæ servo dantur ad compensationem injuriæ illatæ in bonis, quorum est Dominus, ut in fama. 3. Quæ eis data sunt ea conditione, ut non acquirantur Domino. 4. Quæ de bonis suis ludo, aut aliqua negotiatione sine Domini detrimento lucrantur. Ratio est quia jura non reddunt servum incapax Domini: nec consentaneum esset imbecillitati humanæ, ut tale onus imponeretur invito, esset enim magna occasio peccandi. Imò jura supponunt in eo domini capacitatem; nam l. *vix ff. de judic.* servis datur actio contra Dominos, si dicant se suis nummis redemptos. Quare jura, quæ dicunt servos, quidquid acquirunt quavis causâ, vel occasione, Dominis acquirere, intelligenda sunt regulariter, & de lucro sui laboris, aut saltem consuetudine jam mitigata sunt. Hinc servus à religioso solemniter professo differt, qui est prorsus incapax domini.

§. II.

De Prescriptione.

NOta. Præscriptio sumpta pro usu-capione, ut nunc sumitur, est acquisitio domini per possessionem bonæ fidei continuatam

tam tempore per legem definito. Nomine domini, jura, servitutes, officia & beneficia etiam comprehenduntur.

Q. I. *An per Præscriptionem verè acquiritur in foro conscientie dominium rei alienæ absque consensu, & culpa prioris Domini?*

Resp. Aff. Est communis. Quia Resp. vel Princeps vi domini alti in bona subditorum, habet potestatem disponendi de bonis privatorum ad bonum commune, ideóque transferendi rerum dominia, & jura absque consensu, & culpâ prioris Domini, quando id postulat bonum commune. At Principes hac potestate usi sunt, & re ipsa voluerunt rerum dominia sola præscriptione sic transferri, id postulante bono publico, ne scilicet dominia essent incerta, lites multiplicarentur, ut patet ex multis legibus civilibus approbatis Jure Canonico, quæ sine ulla limitatione, & distinctione dicunt: *Bono publico usucapionem introductam esse, ne scilicet quarundam rerum diu, & ferè semper incerta dominia essent.* L. I. ff. de usu-cap. *Ut aliquis litium finis esset,* L. ult. ff. pro suo; & usucapionem definiunt, *Adjectionem domini per continuationem possessionis temporis lege definiti.* L. 3. ff. de usucap. Item Jus Canonicum, quod præcipuè bonum animæ spectat, approbat indistinctè præscriptiones bonæ fidei, ut patet ex toto titulo *de Præscript.* Itaque præscriptio introducta est principaliter
non

non ad puniendam negligentiam prioris Domini, sed ob prædictos fines ad bonum commune spectantes, & quietem civium, ac familiarum, & ad excitandam diligentiam, & curam possessorum circa bona sua, cap. 5. de *Præscript.* Hinc licet retinere rem legitimè præscriptam, etiamsi postea cognoscatur fuisse alterius, nisi tamen prior Dominus per iudicem restituatur in integrum: quæ restitutio conceditur Minoribus, qui habent jus eam petendi toto quadriennio à die, quo Majores facti sunt. Idem Jus Ecclesiarum, & aliis piis locis conceditur per quadriennium à die, quo Ecclesia novit præscriptionem bonorum suorum, ex cap. 1. de *restit. in integrum in 6.* & interdum conceditur etiam Majoribus ob justas causas. Post Sententiam autem iudicis est obligatio in conscientia res præscriptas restituendi, quia justa est, nec nititur falsa præsumptione, sed legibus ita disponentibus.

Q. 2. Quanam conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?

Resp. Quatuor, videlicet possessio, bona fides, titulus, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege definitum.

1. Requiritur possessio, ex Reg. 3. Jur. in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit;* & ex l. 29. ff. de usucap. Sufficit autem possessio civilis. Hinc usufructuarius, conductor, feudatarius, &c. non possunt rei proprietatem præ-

præscribere, cum rem non possideant suo nomine, sed solum nomine directi Domini; item nec colonus, nec is, qui ab eo agrum emisset absente, & ignorante Domino; quia civilis possessio manet apud Dominum absentem, quamdiu retinet animum possidendi, vel donec sciat rem suam ab alio occupatam, nec audeat eum repellere. Licet autem, qui per alium possidet, v. g. per colonum, possit præscribere, non tamen is, qui alieno nomine possidet: quia qui alterius nomine possidet, non est verè possessor, sed alius per eum possidet.

6. Requiritur bona fides, ex Reg. 2. Jur. in 6. *Possessor mala Fidei ullo tempore non præscribit*: alioquin furta, & injuriæ foverentur, iisque via aperiretur. Hæc debet perseverare toto tempore ad præscribendum requisito, ut constat ex Conc. Lateran. Gener. 4. cap. 4. r. relato in cap. ult. de præscript. ibi. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam civilis; cum generaliter omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit in nullâ temporis parte rei habeat conscientiam aliena.* Bona autem fides hîc est persuasio, quâ quis prudenter judicat rem esse suam, & à se licite retineri: nam (ut notat Lessius) si quis ex ignorantia crassa, aut affectata,

ctata,

etata, vel ex inordinata cupiditate existimat rem esse suam, vel non esse alienam, non est bona fides. Duplex hęc bona fides distinguitur.

1. Cùm quis prudenter iudicat rem esse suam, & hęc requiritur ad inchoandam possessionem: nam qui inchoat possessionem dubitans sitne res sua, an aliena, ex communi, non est bonę fidei possessor; ideóque non procedit præscriptio, donec deposito prudenter dubio possessionem inchoet: quia nulla est ratio, cur ipse potiùs rem possideat quàm alter, ac proinde eam sibi vindicans, facit injuriam alteri; nec ejus conditio est melior quàm conditio alterius. 2. Cùm quis post diligentem inquisitionem veritatis nescit, nec iudicat probabiliùs rem, quam habet, esse alienam, ideóque iudicat se posse ut suam retinere. Hęc juxta multos sufficit ad continuandam possessionem, quia ut quis post inchoatam bona fide possessionem perseveret esse possessor bonę fidei, satis est, quòd post diligentem veritatis inquisitionem non habeat rei alienę conscientiam, ex Conc. Lateran. cit. & ex S. August. in cap. Si virgo, 34. q. 1. *Tamdiù quisque bonę fidei possessor rectissime dicitur, quamdiù se possidere ignorat alienum. Cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malę fidei possessor perhibetur. Hinc justè injustus possessor vocabitur.* At dubitans num res sit aliena, vel sua, non habet conscientiam rei alienę, & ignorat se possidere alienum. Deinde possessio bona fide

fide inchoata est ratio sufficiens ad rem sibi retinendam, donec probetur esse alienam: quia *in pari causa potior est conditio possidentis*. Reg. 65. Jur. in 6. Possessor autem, cum dubitare incipit, tenetur diligenter exquirere veritatem: qua diligenter investigata, si perseveret dubium, potest juxta multos determinatè, & prudenter judicare se posse rem ut suam retinere; eò quòd in tali dubio melior est conditio possidentis: sed sine tali judicio non potest rem illam retinere; nam si dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat sibi eam retinere, non continuat possessionem bona fide; l. 32. ff. *de Usucap.*

Hinc 1. Leges civiles statuentes præscriptionem triginta, & quadraginta annorum procedere etiam cum mala fide, abre gatae sunt Jure Canonico, ut patet, ex Conc. Later. cit. & cap. 5. *de Præscript.* 2. Si creditor certo tempore non exigat a te debitum, licet postea ei denegetur actio in judicio, non tamen præscribis contra illum, si nõris debitum; sed teneris solvere totum debitum, nam habes conscientiam debiti quod tuã sponte teneris solvere, & sic cares bona fide ad præscribendum. Si quis tamen invincibiliter ignoret debitum, vel prudenter putet solutum fuisse, potest illud præscribere spatio triginta annorum cum illa bona fide. L. 3. *Cod. de Præscript.* 30. *vel 40. an.*

Not. Ignorantia Juris saltem clari etiam in culpa-

culpata, ex communi, impedit præscriptionem saltem ordinariam: ut si acceperis aliquid à Pupillo sine Tutoris auctoritate, ignorans invincibiliter eam requiri, non præscribis. Secus de ignorantia facti invincibili, ut si ignores eum esse pupillum, currit præscriptio *exl. 4. ff. De juris, & facti ignor. ibi. Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* De ignorantia invincibili juris dubii controvertitur. Imò juxta multos invincibilis ignorantia juris clari non obest præscriptioni à triginta, vel quadraginta annorum; quia jura loquuntur de præscriptione ordinaria, quæ tribus, vel decem, vel viginti annis expletur, cum illa sola, inquit Lessius, cognita sit jure Digestorum, unde jura citata desumpta sunt.

3. Requiritur titulus coloratus, sive apprens, qui scilicet putetur probabiliter verus, licet sit falsus, ut cum intervenit causa de se apta ad transferendum dominium, v. g. donatio, venditio, &c. Sed ex latente aliquâ causâ fuit invalida. Constat ex utroque jure *exl. Usucapio. cod. de usucap. & cap. 17. de præscript.* nam sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis. Ad præscriptionem tamen longissimi temporis, nempe triginta, vel quadraginta annorum, præsumitur titulus præcessisse: quia difficilius probatur, quâ ratione inchoata sit possessio tam longo tempore durans, nisi juris præsumptio sit contra præscribentem.

Dixi

Dixi, *coloratus*, nam titulus verus, seu validus sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secuta traditione. Quare cum in l. cit. requiritur titulus verus, & in cap. cit. justus, utraque hac voce intelligitur causa de se apta ad transferendum dominium, quamvis re ipsa sit invalida ob aliquem defectum occultum.

4. Requiritur possessio cum bona fide continuata per totum tempus lege definitum, quod tempus diversum est pro diversitate rerum præscribendarum; nam ex communi, res mobiles possessione triennali cum titulo præscribuntur, *Instit. de usucap.* Sed sine titulo requiruntur triginta anni: quia res immobiles contra privatum præscribuntur triginta annis sine titulo: ergo idem censeretur de mobilibus, cum nihil aliud de his statutum sit absente titulo.

Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur centum anni, contra aliam Ecclesiam, vel Hospitale, vel Monasterium, vel pias causas, quadraginta anni ex Authentica, *Quas actiones.* cap. de SS. Ecclesiis. Ad præscribenda verò immobilia privatorum, cum titulo requiruntur decem anni inter præsentem, & viginti inter absentes. *Instit. de usucap.* sine titulo requiruntur triginta anni, ut colligitur ex l. 3. *Cod. de præscr. triginta vel quadraginta annorum*, & ex c. 3. *de Præscript.* ubi dicitur res præscribi possessione tri-

ginta annorum, nulla facta mentione tituli. Si autem Dominus fuit partim præfens, partim absens, tot anni sunt adjiciendi, quot abfuit, ex Authenticâ *quod si*. Cod. de præscript. longi temp. ita ut duo anni absentia computentur tantum pro uno anno præfentia. Unde si præfens fueris octo annis, & postea in alieno territorio habites, ut res immobilis præscribatur contra te, requiruntur adhuc quatuor anni, Res autem quælibet Minoris non præscribitur nisi triginta annis.

Dixi, *sine titulo*, supple, qui probetur, nam tunc præsumitur præcessisse. Quare ad præscribendum requiritur titulus coloratus, vel qui probetur, vel qui præsumatur præcessisse.

Not. 1. Præfentes hic dicuntur ii, qui in eodem territorio, licet non in eadem civitate, habitant, absentes, qui in diversis territoriis. *2.* In hac materia tempus breve dicitur, quod est minus decennio. Longum est spatium decem annorum inter præfentes, & viginti inter absentes. Longissimum triginta, vel quadraginta annorum; immemorabile verò, cujus initii non exstat memoria etiam apud seniores. *3.* Bona mobilia sunt res corporales, quæ loco moveri possunt, ut animalia, vestes, pecunia, &c. Ad hæc revocantur debita, & actiones, quæ ex rebus mobilibus competunt. Immobilia sunt quæ loco moveri non possunt, ut domus, fundus, &c. Ad quæ reducuntur res incorporeæ, ut jura, servitutes, census, usu-fru-

Fructus, Beneficia; Item debita, & actiones, quæ ex rebus immobilibus competunt, aliæque jura ad illa spectantia.

Q. 3. *An qui bona fide accepit aliquid ab auctore malæ fidei, potest illud præscribere?*

Resp. I. Hæres qui bona fide aliquid ab auctore malæ fidei accepit, nunquam potest illam præscribere: est communis, ex Instit. de usucap. & l. 11. ff. de divers. temp. præscript. ibi: *Cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignorantia sua defuncti vitia non excludit.* Quia hæres in jure censetur una persona cum defuncto, succeditque uti in omnia jura, ita etiam in omnes obligationes reales, & onera: unde cum defunctus ob injustitiam contraxerit obligationem rem mala fide possessam restituendi, hæres in hac obligatione succedit. Item *Vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitatur.* L. 11. cod. de acquir. & retin. poss.

Resp. II. Qui rem bona fide ab auctore malæ fidei accepit alio titulo, quàm hæreditatis, putà donationis, emptionis, legati, &c. potest eam præscribere tempore ordinario. Est communis, ex l. 5. ff. de Divers. temp. præscript. Excipiuntur duo casus. 1. Si res sit immobilis, & ille contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri, tunc enim ad præscribendum requiruntur triginta anni ex Authent. *Malæ fidei*, cod. de præscript. longi temp. 2. Si res

illa sit furtiva, vel vi possessa, nam non potest tunc præscribi spatio decem, vel viginti annorum *Instit. de usucap.* Sed juxta multos potest spatio triginta annorum ex l. *Sicut* cod. de *Præscript. triginta*, vel quadraginta annorum.

Q. 4. *An res omnes præscribi possunt?*

Resp. Multa præscribi non possunt, scilicet homo liber, res sacrae, & religiosae, ut calices, templa, coemeteria, &c. Jus decimarum percipiendarum à Laico, res publicis usibus destinatae, ut forum, pons, via publica, &c. Limites Provinciarum, Episcopatum, & Parochiarum, si de illis constat; res Pupilli; immunitas ab iis, quæ quis ut subditus debet Principi, ut sunt tributa, obedientia, &c. quamdiu scilicet manet subiectio, nam subditus potest præscribere immunitatem, per quam desinit esse subditus: ad quod requiruntur quadraginta, vel quinquaginta anni cum titulo, & sine titulo tempus immemorabile: nulla tamen potest præscribi exemptio à jurisdictione spirituali summi Pontificis, quia Christus absolute voluit omnes Christianos illi, ut Vicario suo & Ecclesiae capiti visibili, semper subiectos esse in spiritualibus.

S. III.

§. III.

De usu, usu-fructu & servitute.

Q. 1. Quid est usus?

Resp. Q. Usus duplex est, nempe juris, & facti. Usus juris, de quo solo agunt Juristæ, est jus seu potestas legitima utendi tantum re aliena, salva ejus substantiâ. Usus facti est actualis usus legitimus, vel etiam jus utendi re aliena, quæ ipso usu consumatur, sed revocabile ad nutum concedentis: tale est jus, quod habent Religiosi utendi vestibibus, ac alimentis, & cœteris rebus sibi concessis.

Q. 2. Ad quid tenetur Usuarius?

Resp. Tenetur 1. rem, cujus habet usum, integram diligenter conservare proprietario, nam non habet jus eâ utendi, nisi salva ejus substantiâ. 2. Non ei licet percipere fructum distinctum ab ipso usu concessio; quia solus usus ei conceditur; imò nec potest usum sibi concessum alteri donare, locare, vendere, quia non habet jus utendi nisi ad suum usum.

Q. 3. Quid est usus fructus?

Resp. Est jus utendi, & fruendi re aliena, salva ejus substantiâ. L. 1. ff. de Usufr. Unde est jus non solum utendi re aliena, sed etiam omnem ejus fructum percipiendi: porro usus est assumptio rei ad aliquid, ut equi ad equi-

mandum: fructus verò est id, quod provenit ex re, ut Agnus, vellana ex ove.

Hinc usu-fructuarius potest omnem fructum rei, & utilitatem percipere, v. g. In fundo, quidquid in eo nascitur ut fœnum, segetes, lapides, metalla, arenæ, &c. quæ crescunt in fundo; item proventus venationum, aucupiorum, &c. fructus arborum: in animalibus verò fœtus, lanam, lac, &c. In sylvis cædendis potest se gerere ut Pater-familias cædendo quotannis certam portionem; non potest tamen arbores grandiores nisi valdè vetustas, & ferè inutiles, neque frugiferas cædere. Non fit autem Dominus fructuum, nisi postquam eos percepit. Potest etiam omnem utilitatem ususfructûs, & usum Juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem non potest alteri donare, aut vendere, sine consensu proprietarii.

Q. 4. Ad quid tenetur usu-fructuarius?

Resp. Ex Instit. de rer. divis. & Digest. de usu-fructu. Tenetur 1. uti re cuius habet usufructum sicut bonus Pater-familias utitur re sua quam sibi, & posteris conservare cupit, unde non potest arbores non cæduas cædere, agrum deterioreni etiam negligentia suâ facere, teneturq; de damnis suâ culpâ proprietario illatis. 2. Si habeat usufructum pecorum, tenetur in locum capitum demortuorum, vel inutilium, alia capita è fœtu substituere, quæ substituta

stituta cedunt in dominium proprietarii. Similiter tenetur loco vitium, vel arborum demortuarum, alias ferere, non tamen loco deiectionum vitumpestatis. 3. Rem Domino suo integram diligenter conservare. Unde tenetur pro illius conservatione sumptus moderatos facere: sic tenetur ad modicas refectiones domus, ut integra permaneat, non tamen ad magnos sumptus, quibus efficiatur melior. 4. Tenetur præstare sumptus ad fructuum perceptionem necessarios, & solvere tributa, quæ pro re frugifera debentur.

Q. 5. Quid, & quotuplex est servitus?

Resp. Servitus activè sumpta est ius, quod quis habet in re aliena ut sibi serviat, id est, ut in eâ aliquid fiat vel non fiat in suum commodum. Passivè sumpta, est subiectio seu obligatio rei alienæ, ut aliquid in eâ fiat vel non fiat in commodum alterius, salvâ rei substantiâ.

Resp. II. Servitus generatim duplex est; realis, & personalis. Realis est ea, quæ à re immediatè debetur alteri rei, ut si ager tuus serviat meo, quatenus ager meus dat mihi ius transeundi per tuum. Personalis est ea, quæ res obligatur personæ, vel contra. Servitus realis alia est urbana, quæ debetur prædio urbano; alia rustica, quæ rustico. Prædium autem urbanum dicitur omne ædificium habitandi causâ confectum, sive in urbe, sive in villa, & hortus amœnitatis causâ ei annexus.

Rusticum verò sunt ager, vinea, pratum, pecorum stabulum à domo seiunctum.

Servitutes urbanae sunt, ut tignum in tuum parietem admittatur, ut stillicidium in tuas aedes, vel arcam tuam recipiatur, ut murus altius non attollatur, ut fenestra in muro non aperiatur. Servitutes rusticae nominatae sunt iter, actus, via, aquae ductus. Iter est ius, quo pedes, vel eques potest commeare per fundum alienum, non tamen ducere iumentum, aut vehiculum, & actus est ius iumentum, vehiculum & armenta ducendi per praedium alterius. Via continet in se iter, & actum. Aquae ductus est ius aquam ducendi per fundum alienum. Innominatae verò sunt ius aquam hauriendi, pecora adaquandi, pascendi, calcis coquenda, arenae fodienda.

§. IV.

De Possessione.

Possessio alia est facti, quae est actus possidendi abstrahendo, an iuste, an iniuste; & alia juris. Possessio facti, quae ordinariè intelligitur nomine possessionis, definitur rei apprehensio, vel detentio, corporis, animi, & juris adminiculo. Dicitur 1. *apprehensio, vel detentio*: quia vel primùm fit, & tunc est apprehensio, quae est inceptio possessionis: vel jam facta est, & tunc est detentio, quae est continuatio possessionis. 2. *Rei,*
qua

qua voce intelligo cum *Lesio* non solum res corporales, sed etiam incorporeas, ut sunt census, Beneficium, & similia, quæ à Theologis dicuntur possideri, à Juris-peritis verò quasi possideri. 3. *Corporis adminiculo*: quia ut res aliqua possideatur, debet apprehendi aliquo actu corporali, v. g. manibus, pedibus, oculis, vel simili modo, in se, vel in alio, in quo contineri censeatur. 4. *Animi*: quia res debet apprehendi animo illam possidendi tanquam suam. 5. *Juris*, id est jure non resistente, seu impediente: nam ad possessionem requiritur, ut Jus, seu leges non impediant, ne detentio rei censeatur possessio ejus; hinc detentio rei sacræ facta à Laico nequidem est possessio facti, jure id impediente. Contra fur acquirit possessionem facti respectu rei furtivæ profanæ, quia Jus non impedit, ne detentio talis rei sufficiat ad possessionem.

Possessio Juris est Jus insistendi rei tanquam suæ, non prohibita possideri. Dicitur 1. *Jus*, per quod differt à possessione facti, quæ est ipsa occupatio, vel detentio, ex qua Jus oritur, si justa est: quòd si non sit justa, non oritur ex ea Jus in conscientia. 2. *Insistendi rei*, hoc est, rem pacificè detinendi, & Juris remediis, interdum etiam armis tuendi adversus perturbantes. 3. *Tanquam suæ*, nam si quis insistat rei nomine alterius, non est vera possessio. Hinc Tutor non possidet bona Pupilli, sed Pupillus possidet per Tutorem, quia

Tutor non retinet illa bona ut sua, sed nomine Pupilli.

2. Possessio dividitur in naturalem, & civilem. Possessio naturalis est ea, qua res possessa corpore, & animo retinetur ut sua, dum scilicet quis corporaliter insistit detentioni rei tanquam suæ, quod facit, qui rei in suo conspectu positæ ita vicinus est, ut ei continuo adesse possit. Civilis est, qua res corpore, & animo apprehensa retinetur solo animo: sic possidet res suas is, qui abest, quamdiu habet animum eas retinendi. Hic additur tertia species possessionis, quæ civilissima dicitur, & est ea, quæ sola dispositione legis acquiritur absque omni corporis, & animi adminiculo, etiam id incio: sic hæres parvulus possidet hæreditatem defuncti sine ullo apprehensionis actu, & cognitione.



PARS